




via veritas vita



To the Library,
from the Author.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE,
QUÆDAM DE APOPLEXIA
COMPLECTENS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS WEBSTER,

ANGLO-BRITANNUS,

SOC. MED. EDIN. SOC.

AD DIEM IX. MAII, HORA ET LOCO SOLITIS.

GLASGUÆ:

TYPIS JACOBI MUNDELL, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

1798.

JACOBO JEFFRAY, M. D.

REI ANATOMICÆ, CHIRURGICÆ, ET BOTANICÆ,

IN ACADEMIA GLASGUENSI,

PROFESSORI;

HOC

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

D. D. D.

GEORGIUS WEBSTER.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

QUÆDAM DE APOPLEXIA

COMPLECTENS.

AUCTORE GEORGIO WEBSTER.

PROŒMIUM.

Morborum omnium dirorum, quibus ſunt homines obnoxii, nulli terrore tanto ferè mortales percuſsêre, quàm qui, ſine ullo præmonitu, vitam abſumunt. Apoplexia horum eſt præcipua; quam, in paginis ſequentibus, tractari mihi eſt in animo. Morbi de quo agitur, Noſologiâ ſua Cullenus, hanc reddidit definitionem: "Apoplexiâ (inquit) "motus voluntarii ferè omnes imminuti, cum "ſopore, plus minus profundo, ſuperſtite motu "cordis et arteriarum." Haud progredientur meæ tamen notationes primas ultra duas ſpecies

generis idiopathici, hoc modo, à Culleno definitas: "1*mo*, Apoplexia (sanguinea) cum signis plethoræ "universalis, et præcipuè capitis. 2*do*, Apoplexia "(serosa) in corpore plerumquè senum, leucophleg-"matico." Quippe omnes species diversas, Apoplexiæ sub genere complexas, diligenter considerare, necessariò me duceret fusiùs ut tractarem, quàm in opusculis hujusmodi propriè est sperandum.

Præcepta universè instructa ab Auctore maximè meritòque celeberrimo, (quem suprà memoravimus,) in medelâ, &c. hujusce morbi, argumentis physiologiæ, haud mihi consentanea videntur. Quicquid igitur hâc de re sentiam, quàm brevissimè potero, iis reddere qui percontentur decrevi. Plurimo verò metu, hoc opus me aggressurum esse confiteor, et magis eò, quòd ii qui non solum de Apoplexiâ, sed multis etiam aliis morbis scripserunt, alius aliâ ratione, ut notavi, et maximè dissimili, tractaverunt. Citiùs nam lineas duas parallelas aspicere in unum concurrentes speraremus, quàm ut exitus similes à causis tam diversis dimanare videamus. Hic Nitri, in febribus cunctis, morbisque cum inflammatione, vim refrigerantem collaudat: ille, viam (Typhum) quæ ducit latam ad Orcum, Nitri ab usu ipsissimi esse occlusam, vehementer gaudet. Consuetudineque assiduâ, Opium, Camphoram, Antimonium, &c. morbis cum inflammatione cunc-

tis, plurimis fæpenumero adhibita, reperiendum ; et vice versâ, morbis plerifque chronicis, remedia effe fola fpectantur. Reverà, Culleni Nofologia, vix morbum complectitur, qui, tempore vario, ratione valdè diversâ, et quàm maximè contrariâ, non fuerit tractatus. Et quod fanè perridiculum, fententiam fuam abhorrentem quifque defendit, argumentaque vix numeranda, præter exercitationem, mutuas confirmare affertiones, in medium profert. Verum res eft nota, et manifefta omnibus, permultos, hypothefes, morborum conditiones, et experimenta, fibi contumeliofa, artique Medendi præftantiffimæ damnofa, aut usûs, aut commodi fui conveniendi causâ, ftudio multo elaborato confinxiffe, viceque versâ. Parvique res eft momenti, feu rectè, feu pravè, femel acceptis, fi fpes auctoris pafcantur inanes, vel fi commodo ejus conducat. Profectò acuta, perfubtilifque argumentatio, fæpius et veritatem, et juftitiam, præ fefe obruit.

Qui ex morbo convalefcentes modum ad hunc diverfum fuerint tractati, primò vi Medicatrici Naturæ, in fcholis Medicorum tamdiu magni nominis, initium fine dubio dedêre. Hæc quæ invifa operat, equilibrium, tranquillitatemque corpori turbato reftituere, leviter certè valeat ; etfi limitationibus non exiguis, plurimifque nodis præpollentibus obnoxia. A multis fatis conftat, noftri

cognitionem compreffamque mancam Medicinæ Modi Operandi, Methodique confequentis Medendi, effe quare defleamus: quæ, fpero, caufam mei dicent, hâc fi oratione, fententiis ufu hâc de re acceptis aliquid inimicum proponerem.

HISTORIA SYMPTOMATUM.

ÆGER, morbo tentante, universâ fubitâque privatione sensûs, motûfque voluntarii, repentè decidit; vultus tumefcit, et vafa temporibus vicina maximè turgent, os plerumque apertum, fpirandi difficultate laborat, refpiratioque aliquando eft fonora; pulfus, primo impetu, fæpenumero plenus, fed languidus, lentufque evenit; fæcum, et urinæ, emiffio fæpe adeft voluntaria, et quoad vultum, inter eum, fomnoque oppreffum, hoc maximè intereft, quòd non hunc, fed illum, exfufcitare poffis; convulfiones denique fuperveniunt, dentumque ftridor, quæ citò, ægrum, et morbum ad exitum, eodem temporis puncto, perducunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

CAUSA non eft una, fed complurium concurfus, ferè qui ftatum prædifpofitionis inducere confert;

uti diæta plenaque generoſa, cibo ex animalium conſtans, ſocordia cum indolentiâ conjunƈta, nimia quoque ac perpetua ſpirituum fermentatorum ingurgitatio, ebrietatem crebram inducens.

Uſus veneris effrænatus præterea ad hoc conducat, ut appoſitè inquit Darwinius :

Balnea, vina, venus, corrumpunt corpora noſtra,
At faciunt vitam balnea, vina, venus.

Sed horum uſus ſolummodo eſt immodicus, qui perniciosa reddit ; his quoque ſtudia literarum adde aſſidua, curam mentiſque aliam, quæ ad corporis vim humani effundendam maximè conducat ; et occupationes quædam ſedentariæ ad hæc, cum aliis, operam conferant. At cauſarum omnium prædiſponentium, exitus ferè fiunt maximè perſpicui, ad vel circiter vitæ tempus grande climaƈtericum, quâ ætate, homines, annorum naturâ debili urgentium, ſocordes, et ignavi eveniunt ; voracitati, potationique (quaſi rei, in vitâ eorum, maximi momenti,) ſincerè dediti. Subindè corporis nimia obeſitas, ſocordia, et deſidia ſæpenumero evenit ; in partibus variis denique ſui corporis, torpore, ſenſationeque pungenti tangi incipit ; vertigine, ſomnolentiâ, crebro deſiderio privationeque memoriæ perbrevi, ſæpiſſimè tentatur. Viſionis, et auditûs temporariæ quoque interpellationes, cum doloribus acutis in

cerebrum transversè irruentibus, incubi crebris tentationibus, multisque aliis, sæpissimè iis succedunt; quorum præsentia adesse prædispositionem plerumquè ostendit, at præcipuè, his cum quâdam corporis formatione conjunctis, uti capite largo, cerviceque brevi, pro cæteris partibus humani corporis. Hominem, jam nobis fingamus, plurimis symptomatum quæ suprà memoravimus, laborantem, uti patricius civis obesus, vel crassa publicani conjux, tales materiæ moles, à plerisque auctoribus, temperamenti esse plethorici dicuntur, sanguinis redundantiâ in systemate vasculari significatâ, dum eodem tempore, docent medici ferè omnes scriptores qui hanc rem attigêre, plethoram pariter adesse iis qui prædispositione ad morbos inflammatorios laborant, uti Synocha, Pneumonia, &c.

Speculatori maximè improvido est intelligendum, quòd, si in utrisque existat plethora, varia phænomena præbent; priore, magnâ cum laxitate, et debilitate solidorum, totiusque corporis, semper comitatâ, ut satis apparet à symptomatibus omnibus supradictis, quæ ad Apoplexiam prædispositionem faciunt: contrà, ad posteriorem prædispositio, cum vi, copiâque in toto corpore impulsûs tonici, plerumquè consociatur, ut obvium sit ex omnibus humani corporis muneribus, quæ, cum vigore, pulsu pleno, valido, aliquatenusque lento

perficiuntur. Eos ergo, qui verbi ambigui plethoræ ſunt cupidi oportet, ſuæ causâ dignitatis, et humanitatis causâ, aliquid facere diſcrimen, prior, cum laxitate, poſterior, cum vi, Plethora nominaretur, vel appellationibus etiam aliis uterentur, ideas ſi nobis ſatis diſtinctas tranſmittere velint.

Quod ad priorem attinet, quæ phænomena podagricus, et apoplecticus, magnam illam ſanguinis redundantiam indicare oſtendit, (quam adeſſe plerique auctores adeo præcisè affirmant,) obeſo ſui corpore excluſo, cui jam longo tempore cum plethorâ eandem eſſe ſignificationem, incautè fuit ſpectatum. Si nobis tamen, corporis humani animalibus ante oculos in macellum carnarium poſitis, opinionem concipere liceat, ibi, incrementum corpulentiæ vaſtum, materiæ obeſæ quantitate auctâ, membranâ adiposâ per totum corpus universè depoſitæ, provenire reperietur. Quodque ad corporis partes muſculares attinet, auxiſſe haud ſeſe oſtendunt; è contrario, aliquanto eſſe diminutæ pro adipe videntur, qui ab animalis deſidiâ oriri probabiliter poſſit: quidque eſt, quare ab hominis parte ſupercretâ animali, idem non inferamus. Lanium præterea interroga, animalia ſeu obeſa, ſeu gracilia, ſanguinem copioſiſſimè amittunt, tibi, ſine cunctatione, reſpondebit, haud dubiè plurimùm poſteriora; non debet tamen ut ſignificans præcisè, eâ causâ,

ſpectari, animal reverà plus ſanguinis macilentum habere, ſed palam pro certo facit, vim reſiliendi, vel contrahendi, ſuo quæ ſyſtemate muſculari poſſidetur, illam animalis multò ſuperare obeſi; itidemque ſanguinem obeſus amittat, et citiùs plerumquè languefcet, quàm qui temperamentum ſui macilentum habuerit. Ex hoc probare, fluidi vitalis in corpulentis defectionem eſſe ullam, mihi non eſt in animo; multos verò, ut ne temerè effunderent, abſurdè copiam ejus eſſe nimiam judicantes, commonere ſincerè exopto. Namque ad ſalutem, vel ad morbum chronicum amovendum, nihil tam conducit, quàm partes inter ſolidas, et fluidas equilibrium opportunum conſervare, excitamentum à Brunone maximè ingenioſo vocatum, (à quibuſdam viribus, vel ſtimulis, in excitabilitatem ſeſe exercentibus, proveniens, vim quæ in corpore vitâ prædito fuit inſita, id ut re inanimatâ dignoſcat:) nos igitur cautos maximè eſſe oportet, priuſquam ullum vel ſtimulorum minimum abducimus, ne aptum corporis equilibrium perturbemus, cujus incuriæ, vel inſcitiæ, (uti ſanguinem emittere remiſſis,) intermittentes, &c. ſæpenumero ſuccefsêre. Quomodo opimi ſanguinis et boni copia generari poſſit, (tempore quo totum corpus, at ventriculus præcipuè, multùm enervatur, omneſque ſecretiones contaminantur,) ita ut animo ſatisfiat, hoc difficiles ex-

plicatus habebit; nisi à crassitudine ejus cruentatâ, coloreque fusco, bonam sui qualitatem (ut vult vulgus,) spectamus: sat erit dicere, hæc vascularis ex ignaviâ systematis exoriri. E contrariò, tantùm evenit quo tempore corpus est strenuum, et quàm maximè validum, digestionis processus et assimulationis tam perfectos esse et completos, quàm sanguinis copiam benè stimulantis proferre.

Ipsi etiam, qui humorum pathologiæ favent, opimum et copiosum esse sanguinem pro densitate tonoque partium solidarum, affirmant. Nosque Joannes Hunter (vir certè apprimè doctus,) globulos sanguinis rubros exercitatione semper auctos, socordiâque esse diminutos, aptissimè docet; à quo fit obvium, verbum si plethora sanguinis benè stimulantis copiam significare spectetur, prædispositionem ad corporis habitus cum inflammatione posteriorem appellationi maximè esse propriam, certè multò magis quàm prior prædispositio ad Apoplexiam, Podagram, &c.

Homines cum Apoplexiâ haud sæpe tentari notum est, donec intemperantiæ plùs minùs indulgere aliquandiu perstiterint; tamdiu enim exercitatione opportunâ, &c. salutem viresque corporis sustinere persistant, quæ secretiones proprias, et excretiones, conservant, acri haud periculo versantur; sed incontinentiam propter assidu-

am, debilitatis ſymptomata (Languor, Tremores, Anorexia, &c.) præmaturè ſuperveniunt, et plerumquè poſt intemperantiam ullam inſolitam, tentare incipit morbus, exitu ſæpe maximè lethali. Eſtque notatione dignum, omnem impetum ſequentem priore ferè eſſe periculoſiorem; nec cauſa latet, inertius enim corpus evenit, vi præditum minore, eòque cauſis quæ excitant obſiſtere parum valeat. Licet enim ſanguinis iis ineſſe redundantiam, qui prædiſpoſitione laborant concedamus, tamen vis tonici, vel excitabilitatis defectionem eſſe, originem priore ſtimulorum ſuperfluitate trahentem, pro certo habemus; quæ, ſyſtematis exinanitionem vaſcularis haud fieri copioſè idoneam, ſine injuriâ reddit, ni ſtimulos quoſdam adjectos qualitate, pro quantitate amiſsâ, ſanguis acceperit.

Rebus ex omnibus ſupradictis, ad Apoplexiam prædiſpoſitionem debilitatis è ſtatu præcipuè indirectæ pendere, quâdam corporis formatione, quam ſuprà memoravimus, conſociato, colligere mihi cauſam eſſe æquam videtur. E contrariò, ſi ardore, viribuſque corporis prædiſpoſitio comitetur, quâ ratione, inter trigeſimum et quadrageſimum annum, quo tempore corpus eſt quàm validum, homines cum Apoplexiâ non invenimus tentatos; at rarò ſeu non unquam, Apoplexiam eo tempore evenire, cauſis excitantibus vel quàm acribus ad-

motis, uſu eſt repertum. Ergo prædiſpoſitionem, virium corporis defectionem, vel privationem, eſſe ſeu ſignificare, iterum juſtè colligamus.

Dum prædiſpoſitio permanet, varia ſunt tempora, quibus, homines cauſis excitantibus magis obnoxii, quibuſque cauſis excitantibus ſunt faciliùs affecti, uti per ſomnum primum, poſt incontinentiam inſolitam, poſtque cibum plùs æquo ſumptum. Primi cauſam explicare non eſt difficile, ſi demus (et mihi æquum videtur,) ut in ſtatu debilitatis haud directæ prædiſpoſitio conſiſtat; enim de die, omnia noſtra ſensûs et voluntatis organa, omnes motus voluntarii, ingeſtaque, præcipuè cibaria bene condititia, et liquores generoſi, vi eorum ſtimulante, excitabilitatem effundere, eòque ſomnum inducere, conjungunt, quo tempore iterum coacervatur: adeoque excitabilitatem accumulari, et exinaniri poſſe, obvium a multis redditur. Cum aliquis igitur ebrioſus, vel multum qui paſſus laborem, in lectum ſe recipit, ſi dolorem, vel moleſtiam non induxerit, benè edormit; *id eſt*, à ſomno haud facilè ſuſcitatur, nec ullo ſtimulo excitari poſſit; quâ conditione, ſi ullus ſtimulus adhibeatur, (uti ſtrictum collare, vel ſi cervice contortâ jaceat, &c.) ſanguinis à capite immunem regreſſum impediens, mox accumulatio Apoplexiam inducens evenit, neque moleſtiâ exſuſcitatur, neque accumulatio ob debilem

oppreſſamque ſtatum vaſculorum reſiſtitur, conſumptâ eorum excitabilitate, nec poſitio corporis proſtrata, tentante morbo, permutatur, quò cauſa fortuita æquè amoveretur, ac ſi morbus cum erectum tentâſſet, itaque lethalis citò exitus evenit: ex hoc autem diſcimus, quomodo qui in lectum ſe validos recepere, ſæpiſſimè verò poſt ullam luxuriam, toties manè exanimes reperiuntur.

Haud erit intempeſtivum, cibus quî plenè ſumptus corpus affecerit, hoc loco ſpectare, et quo pacto ad Apoplexiam prædiſpoſitionem augeat inveſtigare. 1*mo*, Quantitate ejus ventriculus diſtenditur, qui ſeſe contra diaphragma impellit, reſpiratio inde multùm reprimitur, viſque oxygenoſa, excitabilitatem vel irritabilitatem reficere, à quâ pendere nunc dierum cenſemus, minùs abundè ſuppeditetur. 2*do*, Ventriculus diſtenſus, vaſculis deſcendentibus oppreſſis, vim ſanguinis majorem capiti emitti efficiat, ibi quia minùs reſiſtitur. 3*tio*, Maximèque eſt veriſimile, ingeſta citiùs in ſyſtema ſanguiferum tranſire, quàm partes ſuperfluæ vaſis excretoriis ejiciuntur, ut liquidò patet, aliquandiu poſt epulas, pulſu plenò, &c. Cauſæ hæ duæ proximæ, plenitudinem vaſis capitis inferendo, (per excitabilitatem imperfectam, ut priùs memoravimus,) modo aliquanto ſimili vi externæ cerebro mechanicè admotæ, agere ſpectentur; eò morbi-

dum torporem, vel ſomnolentiam, inducere concurrentes, prædiſpoſitionem augere, eamque infimo ordini Apoplexiæ conſimilem facere.

CAUSÆ EXCITANTES.

TRACTATO jam ſtatu prædiſpoſitionis, quas cauſas experientiâ excitantes eſſe ſæpiſſimè reperimus, recenſere ſeu oſtendere conabor. Neque hæ numero exiguæ ſunt, uti ligamena ſtricta circumjecta collo, tuſſis aſpera, cachinnatio, labor nimius corporis, elatio onerum ingentium, nixus vehemens, convulſiones, &c. quæ omnes inſpirationibus profundiſque longis, ſemper pro opere adhibito comitantur; reditum immunem à capite ſanguinis venoſi hoc modo impedientes. Quâ conditione, muſculi corporis plerique, magnâ vi, ſeſe contrahunt, eâ de causâ ſanguini ab arteriis exeunti magis obſiſtitur, ſanguiſque refluens venoſus curſu acceleratur; eò capitis vaſis accumulatio evenit, ibi quia minùs reſiſtitur. Capite aliquandiu demiſſo, vaſorum cerebri plenitudo ſæpenumero evenit, ſanguine contra ſui gravitatem aſcendente, qui, corpore valido, facilè perficeretur; corporis verò vaſa, quod prædiſpoſitione laborat, vi propriâ privata, diſtenduntur, vertiginem, capitiſque gravedinem

inducentia, et nisi æger positione corporis erectâ sublevatus fuerit, Apoplexiâ celeberrimè tentatur.

Calor quoque nimius magnâ vi agere spectetur, præcipuè verò si causâ ullâ aliâ excitante adjuvetur, uti in calidis frequentissimisque cœtibus saltatione, vel quo tempore hiemis frigoribus sol vernus subitò succedat. Pathemata mentis pariter enumerentur, uti vehemens ira, lætitia effrænata, &c. hæc autem duobus diversis modis corpus afficiant, vel in excitabilitatem sese exerceant, vel affectionem nonnullam organicam faciant; hæc autem causæ excitantes fortuitæque spectari debent, quantùm statum posteriorem producere valeant, uti vasorum capitis plenitudinem, &c. Hæ causæ excitantes, cum multis aliis quæ memorari possint, satis admotæ, sanguinis in vasis capitis accumulationem inducunt, proque eorum distensione, pressuræ cerebro plus minusve infertur, eò efficaciam, potestatemque omnibus partibus corporis vim sui nervosam impertiendi evertens, quo tempore æger decidit, sensu, motuque privatus, &c. ut suprà in Historia Symptomatum memoravimus: cùm vero causa excitans quàm vehementissimè admovetur, vel longo tempore continuatur, vasorum cerebri ruptio sæpenumero evenit, effusione sanguinis sequente. Partes variæ capitis hujusce effusionis sedes fieri possint,

plerumquè verò evenit cerebri basi vicina, vel in ventriculis, vel inter meninges, Apoplexiam quidem constituens, quæ raro vel nonunquam sanari potest.

A re propositâ haud erit sejunctum, quomodo morbus de quo agitur ejusque comitantia symptomata nascuntur, hoc loco spectare.

Primo, Vasorum capitis extensionem, causâ excitante ortam, torporem vel quiescentiam corporis induxisse, usu invenimus; *id est*, Vis sentiens irritari non potest, ut sensationem, motusque omnes ex eâ pendentes suppeditet. Hæc vis sentiens, duobus diversis modis, iners, seu suspensa fieri potest; vel pressurâ cerebro mechanicè admotâ, vel excitamento imperfecto. Quod ad primum attinet, pressuram externam cerebro admotam, (uti in cranii fracturis, cum depressione, sanguinisque extra venas effusione,) vim sentientem, motusque omnes ab eâ pendentes, semper suspendere, nemo ignorat: idemque phænomenon occurrit, cùm sanguinis accumulatio, ab ullâ causa quâcunque, in vasis cerebri evenit.

Pro *secundo*, Quiescentiam quoque corporis ab excitamento imperfecto sæpenumero oriri, experientia docet, uti sanguinis, vel stimulorum aliorum deductione; ab abundantiâ priore vis cujusdam stimulantis, uti post parturitionem, post reductionem

molesti membri luxati, vel ullum alium nimium corporis laborem, quæ omnia corporis excitamentum maximè augent; eò modus stimuli consuetus, justam excitamenti rationem ad productionem sensationis necessariam, ministrare non potest. Cùm totum corpus afficit, vocatur Syncope; cùm partem verò corporis solummodo, uti vasa cerebri, eò vim tantùm sentientem suspendens, nominatur plerumquè Apoplexia, Coma, &c.

Rebus ex omnibus supradictis, facilè explicemus (ut mihi videtur,) Apoplexiæ causam, et continuationem; quiescentia, à priore causarum duarum quas jam memoravimus, oriri manifestò apparet; *scil.* à pressurâ mechanicè cerebro admotâ, sanguinis in vasis ejus accumulatione causâ excitante generatâ, quiescentiæque continuatio ab excitamento imperfecto oritur. Enim si quoque paulò post paroxysmi tentationem, sanguis in vasis omnibus cerebri ad quantitatem solitam redigeretur, torporis adhuc continuatio esset, quippe vasa, hoc tempore quantitate solitâ stimuli, (*scil.* sanguinis,) non satis excitarentur, propterea quòd ingenti stimuli quantitati (*viz.* nimiæ distensionis,) cui paulò antè fuissent obnoxia, tantò est inferior; namque ab omnibus confitetur, musculorum fibras stimulo minore haud tam citò excitari, vel in actionem vocari posse, cum extemplò antè stimulo multò majori fuerint ex-

positæ. Estque probabile, quòd talis quiescentia vasorum capitis accumulationem servare maximè conducat, iis partibus, ob excitabilitatem consumptam, seu vim contrahendi imperfectam, sanguine minimè affecto: accumulationem igitur primitùs esse causam, ultimòque paroxysmi effectum non justè spectemus? Cerebri partes varias causâ excitante affici posse, est obvium, quoniam affectiones ex parte paralyticæ morbum sæpenumero sequuntur. Hæc si argumenta adhibeantur, methodum medendi solitum, venæsectionem valdè copiosam, cum ratione debilitante vel antiphlogisticâ, maximè esse perniciosum planè indicant. Plerique verò auctores venæsectionem collaudant, eique iterum atque iterum copiosè repetitæ maximè confidunt; pro corporis conditione, morbique stadio, hæc res est parvi momenti, modò Apoplexia adsit, ægri venæ sunt ferè evacuandæ, causâ scilicet sanguinis effusionem impediendi, vel accumulationem amovendi; quod verò ad priorem attinet, satis est probabile, ubicunque sanguinis effusio adsit, quòd causâ excitante manente occurrebat, quodque ad posteriorem attinet, venæsectio modica, in quibusdam conditionibus posthac memorandis, fuerit sæpè perutilis. Aliàs curæ sit nobis quo tempore scalpellum adhibendum, nos enim vasa nostra tubulos esse tantùm inanimatos spectare minimè oportet, nequaquam,

materiæ leges animatæ omnibus aliis ſunt diſſimiles, à legibus ſibi ſolùm propriis perpetuò pendentes. Aliquis crederet, quòd exitus admodum infelix rationis (ſyſtema vaſculare copiosè evacuandi) ſuprà dictæ, tam multis ætatibus ab omnibus imitatæ, Methodi Medendi futilitatem quibuſdam indicaret; compedes verò præjudicii pertinacis divellere ſecula quidem ipſa ſunt crebrò neceſſaria, quod, cum fide implicitâ in ſententiis alienis collocatâ, ſcientiæ, medicinæ autem præcipuè, fuit noxium.

Corpus humanum ad interitum perpetuò feſtinare experientiâ quotidie invenimus, namque vita ipſa (ſi verba Brunonis ingenioſi mihi liceat citare,) conditio manifeſtè eſt coacta, calore, aëre, ciboque nutrita, quæ vitæ animalium æquè ſunt neceſſaria, ac aër purus lucernæ accendenti; poſtquam igitur ſalutis limites ſemel fuerint diruti, inclinatio ad obitum ſupradicta ocyùs progreditur, ni quâdam vi contrariâ impediatur. Quid igitur non timeamus, cùm ſanguinis deductione ſtimulorumque aliorum, pro ratione antiphlogiſticâ, corporis talis torpor vel quieſcentia producitur, quæ aliquando fermè ad productionem affectionis univerſæ, ad obſtructionem motûs tam involuntarii, quam voluntarii, extenditur: bene enim notum, eos qui prædiſpoſitione laborant multum ſanguinis amittere ferè non poſſe, ſine ſyncope plùs minùſve inductâ, ob vim imperfectam

ſyſtematis contrahendi vaſcularis. Hæc ratio tractandi pulſum debilem, atque exiguum ferè inducit, quem notant auctores paulò poſt, vel per paroxyſmi continuationem, quo tempore quoque vaſa, quæ causâ excitante proximè fuerint affecta, excitabilitate conſumptâ, debiliora et inertiora eveniunt, ac ſecundum humani corporis legem, parti ſeroſæ vel aquoſæ ſanguinis citò pervia fiunt, formatis effuſionibus, et ni aptâ adminiſtratione fuerint coërcita, materiæ hujuſce ſeroſæ plùs plùſque quantitas augebit, donec ſenſationem, motuſque omnes voluntarios, preſſurâ mechanicâ impedierit, exclusâque causâ primitivâ, mors ultimò aderit. Talia phænomena, cadaveribus inſpectis, multos auctores falsò credere induxêre, Apoplexiam exiſtere ſeroſam, ut priùs memoravimus.

Quoniam Apoplexiam in duas ſpecies, *viz.* In Apoplexiam ſanguineam, et ſeroſam, auctores plerique divisêre, quoniamque ſymptomata, &c. cuique propria non ſpeciatim notavere, eos has ſpectare eſſe ferè ſimiles, tantùm ab effuſione fluidorum variorum circa cerebrum exortas, ſatis conſtat. Vaſorum cerebri diſtenſionem, ſanguinis in iis accumulatione ortam, vaſiſque ruptis ſanguinis effuſionem, quæ Apoplexiæ paroxyſmum inducat, evenire poſſe, congruens et ſpecioſum videtur: liquidi verò ſeroſi effuſioni ſubitæ credere nullo tempore poſſum,

quod paroxyſmum priori ſimilem induceret. Inſpectione cadaverum, hujuſmodi liquidum fuiſſe inventum nemo inficietur, cauſam autem eſſe proximam et fortuitam mihi maximè incertum videtur; cuique enim res eſt notiſſima, materiam aquoſam, vel ſeroſam effundi, ſeu exhalari vaſis adeo maximè minutis, ut accumulationem paulatim, uti in Hydrocephalo, evenire manifeſtè oportet, ſymptomataque evenirent, et pro accumulatione, preſſurâque ſequente procederent.

Probabilius verò mihi videtur, hanc materiæ ſeroſæ effuſionem eſſe effectum, et non cauſam paroxyſmi fortuitam, impetu virium excitantium provenientem, crebròque, ni fallor, adminiſtratione ineptâ tempore morbi, in ratione debilitante (vulgo quæ antiphlogiſtica dicitur,) perſeverando, eò totius corporis debilitatem univerſam augente, vel aliter inducente, præcipuè verò cerebri, quia cauſæ excitanti maximè fuit objectum, et, materiæ ſeroſæ effuſionem in ventriculos cerebri debilitate ſolummodo provenire, cenſeo. Perpauci enim, ſentio, effuſiones ſeroſas in ſtatu valido ſyſtematis vaſcularis unquam evenire, credunt; quare, quod dictum fuit Apoplexia ſeroſa morbos inter ſymptomaticos aptiùs numerari debet, iis ex principiis univerſis pendens, affectiones quæ alias hydropicas inducunt.

PROGNOSIS.

Impetum fi caufæ excitantis cum fymptomatibus quæ adfint, ægrique temperamentum, perattentè fpectemus, morbi conclufionis juftam bene informationem in univerfum habeamus. Prognofin quidem reddere in ullo morbo, in iis verò præcipuè acri periculo comitatis, multum prudentiæ, plurimumque difcriminis, habere debet medicus; fæpenumero enim norma evenit, quâ homines aptiffimè quidem de fcientia ejus in arte plerumquè judicant.

Iis in conditionibus, quibus lenem afpectum fymptomata præbere inveniuntur, quando ori ejus indita deglutire poteft, fine rhonco, quandoque punctus, feu uftus, corporis motionibus, effe haud omnino fine fenfu doloris, fefe oftendit, exitum felicem prænunciat; fauftum quoque erit indicium fi fuperveniat febris, quæ perpetua comatis fymptomata omnia fæpenumero removet *. Phænomena fi faufta fupradicta corpore parum defecto conjungantur, de ægri recuperatione optimè eft fperandum. Nonnulla veruntamen affectio, partim paralytica, frequenter adfit, tempore longinquo plùs minùfve perpetua, quæ autem admi-

---

* Le Roy.

niſtrationi opportunæ ferè ſuccumbet. E contrariò, ubi omnia ſymptomata acerrima eſſe invenimus, uti ſensûs omnis privatio, ſtertor *, fœcum urinæque emiſſio in voluntaria, cùm deglutitione difficili, ejus de recuperatione ferè eſt deſperandum; et ſi ſuperveniant convulſiones, fatum mox eſt inevitabile.

Crura ſi ægri in Apoplexiæ paroxyſmo vellicemus ſeu pungamus, et ſi crurum unum, ſed non alterum, ſurſum attrahat, poſterius erit paralyticum; idemque de brachiis obſervandum. Æger ſi tempore deglutiendi tuſſi aſperâ tentetur, affectionem œſophagi paralyticam eſſe oſtendit; tuſſis verò ſi levis ſit, vel tempore deglutiendi parum frequens, maximè pertinacem haud eſſe futurum ſperandum. Cùm autem adeo afficitur œſophagus, ut liquor omnis, quem æger deglutire conatur, Aſperam in Arteriam tranſit, ſonumque crepitantem cum ſenſu ſuffocationis excitat, morte ſubitaneâ correpto mox inſpicere ſperemus †. In omnibus vero Apoplexiæ conditionibus, eſt humani prudentiſque medici quantùm facere fieri poteſt, ægrum ut faucibus Orci eripiat, eum viſere aſſiduè, ſummamque operam dare, tamdiu enim ſpirat, nos ſperare oportet. Quando tentationibus tam violentis, quam ſuprà memoravimus, æger ſuperſit, affectionem non-

* Hippocrates. † Le Roy.

nullam maximè pertinacem paralyticam esse permansuram, in universum speremus.

RATIO MEDENDI.

MEDELAM ad consequendam nostri solæ summæque operæ tendunt; ut verò spe aliquâ boni exitûs progrediamur, nos, statum prædisponentem, causam excitantem, cum symptomatibus quæ adsint, spectare aptè oportet, quibus sine spectandis, operæ nostræ plerumquè non solùm inanes, verò etiam noxiæ fierent. Estque sane empirici cuiquam simulare morbis se posse mederi, effectu remoto, tempore dum eodem causam superesse patitur; morbum itaque de quo agitur, duobus sub capitibus dilucidis, scilicet prædispositionem, ipsumque paroxysmum, spectabo. 1*mo*, Ægrum talem fingamus prædispositione laborantem, qualem suprà * memoravimus, quam appositè esse morbum spectare, et tractare congruenter debemus, debilitatem abducere, et vim, tonumque totius corporis restituere, primùm nobis tentandum.

Necesse erit curationem inchoare, doses modicas nonnulli aloëtici, aliusve aperientis leniter stimulantis adhibendo, ut molem illam materiæ indigestæ

* Vid. pag. 5. et 6.

expurgemus, quâ ferè eorum primæ viæ abundant, qui temperamento sedentario, seu corpulento sunt præditi, dosisque inter medelam, pro re natâ, repetatur. Eum cibo animali partim vesci oportet, ratione cum modicâ condimentorum, ad coquendum facilium, pro prandio, uti matura caro vervecina, seu bubula, illique sit curæ sollicitæ ventriculum ne nimiùm oneraret, maturè leviterque cœnare debet, minùs autem cibi, tantò meliùs. Ebrietati si assiduè sit deditus, consilio monticolarum principi reddito utatur, qui symptomatibus debilitatis, (uti Tremores, Dyspepsia, &c.) spirituum prælargum fermentatorum poculum quotidie exsiccando, laborabat; *scilicet*, insigne gentilitium affigere ceræ sigillari, unamque impressionum in poculum quotidie injicere, quâ consuetudine revalescebat, validusque brevi tempore fiebat. Mores autem tam noxios intermittere paulatim, constantiæ sæpe plus est necessarium, quàm ferè generi debili mortalium sorte evenit; ii verò, fontem hunc morbi lethalem, uno ictu eradicare debent, præter paululum vini, cerevisiæve tenuis seu generosæ, post prandium sumendæ. Enim tali licet transitione, morbis quibusdam debilitatis indirectæ sese objiceret, malorum tamen duorum minimum duco hoc esse postremum, cui, usu cardiaci nonnulli leniter stimulantis, satis cavere possit.

Salutem ad reſtituendam maximè exercitatio conducit, uti equitatio, ſeu ambulatio, quam frequentem, temperatam, paulatimque pro viribus ægri eſſe auctam oportet; has enim ſuperare, (ita ut nimio labore,) reditum viriumque valetudinis optatum fruſtrari, ſeu protrahere, tantùm valere poſſit. Verſus * poëtæ elegantiſſimi ſequentes, hâc de re, nos bene admonent:

Begin with gentle toils; and, as your nerves
Grow firm, to hardier by juſt ſteps aſpire.
The prudent e'en in ev'ry mod'rate walk
At firſt but ſaunter, and by ſlow degrees
Increaſe their pace.

Nonnulla levis ars mechanica, ingenio ſuo aptata, ei eſſet perutilis, mentemque corpus negotiis mutuò occupata tenendo. Frictio per ſcopulam corpori admota, dupliciter eſſet utilis, cùm lenis exercitationis, tum ſanguinis circulationem in vaſculis ſubcutaneis promovendi, uſui inſervire poſſet.

Somnum nimium, luci præcipuè captum, evitare eum oportet, cujus haud erit præcupidus, parcè ac duriter ſi vivat, ſeque aptè exerceat; quare, alto foventeque ſomno, noctu, ferè fuerit compenſatus. Sodales ſibi ſeligere debet, æquè hos nimiâ alacri-

* Armſtrong.

tate, ac illos ſilentio, ſeveritateque morum inſignes, cautè fugiens; his enim abſentibus, ſummo altero ſæpe eſſet obnoxius, ſicut uſu quotidie invenimus, eumque ſatis attentum illi haud facere poſſent. Eos igitur æquo animo, prudentiâ, probâque indole inſignes, ſibi eligere debet, quorum congreſſum, mentem leniter ſtimulare, ferè invenimus, per quam modo ſalutari in corpus ſeſe demum exercet. Nos ægri ingenium primùm ſemper ſpectare oportet, quò ſodales, et occupationes, ſuæ indoli fuerint accommodatæ.

In regione aridâ, et ſerenâ, (ſi res hoc ſinant,) vitam degere debet; aëre quæ puro abundat, cujus vis ad corpus confirmandum non ſolum conducit, ſed nos conſtanter exhilarat, et deinceps nos gaudio noſmet exercere ſtimulat. E contrariò, tempeſtatem nubilam, quæ in Magnâ Britanniâ, menſe Martio et Aprili, vento ab Oriente exeunte comitata, ſæpenumero paſſim prævalet, in animum magnam habere auctoritatem, animi abjectionem, affectiones hypochondriacas, &c. inducendo, omnibus eſt conceſſum. Et inter Gallos, in proverbium ceſſit, Anglos, tali prævalente tempeſtate, vitam ſuſpendio finire. Auxilio medicinæ ſi eguerit ægrotans, Cortex Peruvianus, Stannum, Amara, Acidum Vitriolicum Dilutum, cum aliis commodè adhibeantur; et commoretur quoque, pro re natâ, apud

(Scarborough, Tunbridge Wells, alios vel) eos locos, aquis qui medicinalibus abundant. Si ii, qui ad Apoplexiam prædifpofitione, morbo five ullo alio indirectæ debilitatis laborant, regulis paucis univerfis fuprà inftructis convenienter viverent, cibus in ventriculum receptus aptè concoqueretur, chylus indè bonus proferretur, inque fanguinem tranfgreffus, hæc coacervatio rationem idoneam vis ftimulantis eo tempore haberet, fyftemaque vafculare incontinentiâ antecedente confectum, et defidiâ torpidum, tonum, vigoremque fibi proprium, citò recuperare poffet. Regula aurea falutis conservationi aptata, eft, Nimietatem fugere, et femper cavere, ingefta excretis, virefque excitantes excitabilitati æquare, et vice versâ. Valetudo, et ægrotatio, eo tempore, ut debent, fequerentur, congeriemque morborum lethalem ab hominibus amoverent, Orco qui quotidie animarum multa millia demittunt.

Hoc loco memorare certè parum neceffarium, ut, inter ftatum prædipofitionis, caufa quæque excitans evitari cautè debeat; fi autem non fuerit evitata, ac paroxyfmus reipsâ evenerit, medicinæ hoc tempore auxilium fit neceffarium, et de fcientiâ, difcrimineque medici, ægri vita fæpenumero pendet.

2do, Quod ad paroxyfmum ipfum attinet, quamvis ulla vix eft conditio morbi venæfectionem quæ maximè copiofam poftulat, quibufdam tamen conditionibus modica fanguinis evacuatio neceffaria evenit, de quibus, nos, res comitantes normam effe maximè fecuram, fpectare oportet, quâ, eâdem in evacuatione, et universâ morbi adminiftratione, dirigi debemus, qui capitibus fub duobus dilucidis fpectari poffit.

1mo, Corporis vigore pleni morbum comitante, cui nomen (*διαθέσεως σθενικῆς*,) diathefis fthenicæ, à Brunone ingeniofo, fuit redditum. *2do*, Corporis laxitate pleni morbum comitante, cui nomen (*διαθέσεως ἀσθενικῆς*,) diathefis afthenicæ auctor idem ingeniofus reddidit.

Quod ad priorem attinet, hifce in conditionibus, quibus æger ætate non fit provectus, cùm præviâ nimietate, vel diu manente intemperantiâ, haud fuerit confectus, et cùm multa quoque alia phænomena copiam vis tonici, et vigoris corpori ineffe pleno oftendunt, de quibus, pulfu pleno, et crebro, fuæ ftatu valetudinis, vigore, rationeque priùs vivendi, quàm eum paroxyfmus tentabat, judicare debemus; fi, inveftigatione factâ, tonum et vigorem ineffe corpori credamus, plethoram quoque adeffe ex iis pendentem, nos indè caufam æquam

colligere habemus *. Cùm igitur, paroxyſmo manente, cor et arteriæ vi magnâ ſeſe contrahant, ad ſanguinis accumulationem in capite conſervandam, conditionis causâ vaſorum in eo debilitatæ, maximè certè conducent; et ſi corporis vigor ſit violentus, accumulationem ſanguinis in vaſis adeo extendere, ut excitabilitatis eorum accumulationem impedire, etiamque vitæ ipſæ principium extinguere, pergere poſſit. Omnibus itaque in rebus ſimilibus, excitamentum in corpore pleno, conditionem ad eam mediam redigere nobis quàm primùm eſt tentandum, accumulationi quæ nimiæ obſiſtat, et nihil, eſt veriſimile, huic uſui æquè inſerviet, ac venæſectio, ſtimulum amovendo præ omnibus aliis potentem, propterea quòd corpori toti proximè et universè admovetur.

Quantitas ſanguinis emittenda, copiæ toni, et vigoris, qui in corpore inſint, æquari debet; raro autem minùs quàm octo, neque plùs ſanguinis quàm viginti-quatuor unciæ, à nobis unquam detrahi debent.

Quantò citiùs poſt initium paroxyſmi medicus venæſectione utatur, tantò veriſimiliùs commodum ex eâ eſſe proventurum; quò autem diutiùs eam diſtulerit, eò minùs neceſſaria fuerit. Et haud multò pòſt, uti tempore quo pulſus languidus,

* Vid. pag. 9.

debilis, et lentus evenit, non ſolùm eam inutilem, ſed etiam eſſe noxiam futuram, apparet; circulationem autem ſanguinis per cerebrum omnino impediri credere non debemus, mors enim, credo, ferè rei hujuſmodi repentè ſuccederet. Verò in omnibus iſtiuſmodi conditionibus, vigore corporis comitatis, rationem medendi debilitantem non protrahere, vel perſeverantia prælongâ, vel copia nimiâ, ſtatum quæ debilitatis directæ inducerent, nos maximè eſſe cautos oportet. Enim obvium eſt, paroxyſmus ſi aliquandiu permaneat, ut, defectione ſtimulorum inevitabili, directa ſenſim ſupervenerit debilitas; ubi primùm, igitur, ratio debilitans, conditionem ad mediam, excitamentum redegerit, eâ abſiſtere debemus. Si autem eâ ſubter conditione ullo tempore iverit, deinde, nos ratione agere diversâ, ſtimuloſque varios poſtea memorandos adhibere, qui, vim et excitamentum, punctum ad idoneum agendi animent, oportet. 2*do*, In iis autem conditionibus, quibus non adſunt phænomena, quæ tonum et vigorem ineſſe corpori oſtendunt, ſed ubi è contrariò magna adſit debilitas, et laxitas totius corporis, nimiâ ſeu aſſiduâ incontinentiâ inducta, uti in ſtatu prædipoſitionis ſuprà plenè notavimus; (et, paroxyſmorum Apoplexiæ multò maximum numerum ſub capite debilitatis totius corporis indirectæ, præcipuè verò vaſorum capitis,

poffe fpectari, cenfeo :) igitur in hujufmodi conditionibus, præcipuè autem fi æger provectior fit ætate, vel, tempore prævio, morbo fuerit tentatus, corporis vice confumendi venæfectione, &c. nos, è contrariò, excitamentum animare, vel excitabilitate augendâ, vel ftimulis vi majore præditis adjiciendis, quàm maximè poffumus oportet.

De priore, principium eft, cujus adhuc fumus admodum ignari, de quo, ejus exitibus tantùm, judicare poffumus; nec etiam nunc accumulandi cujufcunque rationis proximæ nobis eft notitia; animum igitur ad pofteriorem (*fcil.* modum ad virium ftimulantium majorem,) advertere debemus. Æger, morbo tentante, in lectum quamprimum ponatur, conclavi gratè frigido, partim corpore ejus erectâ, ligaminibus omnibus, quæ, cum aliis, collum circumvolvantur, ftatim detractis, quæ regreffum immunem fanguinis à capite impedire conducant. Deinde, fub quo capitum duorum fuprà dictorum tractari debet, fpectemus; fi fub priore, emittatur fanguis, aliterque fecundum præcepta eo loco inftructa tractetur.

Si autem fub capitum pofteriore, hicque loci cura fedula, cum non exiguâ cautione, fæpe eft adhibenda, quoque enim iis in conditionibus, pulfum, tentante paroxyfmo, plenum effe et crebrum, aliquando invenimus; præcipuè autem fi, cibum

poſt plenè ſumptum, evenerit, à quo plenitudo in ſyſtemate vaſculari perbrevis, ſcalpellum quæ adhiberi poſtulet, induci poſſit. Si verò, primo impetu, ſtimulos vi permagnâ præditos, temeritate nimiâ, adhibuerimus, corporis excitamentum probabiliter augeri poſſit, (conditionem ultra mediam, quam nos petere oportet,) accumulatio hac ratione, adeo increverit, ut principium vitæ ipſæ funditus extinguere, in vaſis iis cerebri, quæ causâ excitante maximè fuerint affecta. Haud erit intempeſtivum, priuſquam de Ratione Medendi longiùs agitur, hoc loco ſpectare, ut, omnibus in conditionibus, quibus cauſa excitans longo tempore, ſeu magnâ vi, fuerit applicata, operas vel quàm maximas ſubitò eſſe felices, haud ſperare debeamus: (cauſa ſatis apparet *,) in omnibus enim hujuſmodi conditionibus dum quieſcentia manet, nos, malis quæ ab accumulatione oriri poſſint, ſummâ operâ præripere oportet; ſi, in hoc peragendo, operæ bono exitu comitentur, deinceps, accumulatione excitabilitatis ſpontaneâ, excitamentum naſcetur, quæ temporè, præviâ pro ſuâ conſumptione, aucta, ſeu diminuta fuerit.

Multis in conditionibus, Rationem Medendi haud ſatis perſpicuè deſcriptam invenimus, uti ſtatum

---

* Vid. pag. 16. et 17.

medium diathesin inter sthenicam et asthenicam; in omnibus hujusmodi, ægro sanguinis octo vel duodecim uncias emittere tempestivum fuerit, applicationemque stimulorum diffusibilium ad tempus differre, donec vigor corporis deficere cœperit. Cùm autem pulsus, paroxysmo incipiente, tantùm est leniter plenus, et haud creberrimus, venæsectio omnino est vitanda; ægroque posito, ut suprà mandavimus, ei enema stimulans quamprimum detur, et si deglutire possit, nonnulla aperiens aloëtica, cum Hydrarg. Muriat. Mit. stimuloque leniter diffusibili, ut primæ viæ evacuentur, adhibeatur. Corpus ejus, lanulâ solâ, vel juncto sinapi ferè quod usurpatur, bene, leniterque affricetur, vel embrocationis portione sequentis: R. Tinct. Opii. Æther. Spt. C. C. $\overline{aa}$ oz. ij. M. fiat embrocatio. Plerumquè intra horam, si prædispositio haud fuerit permagna, seu causa excitans diu aut vehementer applicata, de recuperatione ejus crebrò est sperandum; quæ quidem haud infrequenter evenit, antequam medicus advenire potest, spontaneâ excitabilitatis accumulatione, modo quæ stimuli solito affici possit. Ubi autem recuperatio non evenerit optata, uti suprà memoravimus, pulsusque, circulationem advenire inertiorem, et debiliorem, significare incipit, cataplasmata stimulantia pedibusque cruribus, cum vesicatoriis capitique cervici, sine

morâ funt adhibenda: hæc reverà, primo impetu paroxyfmi, adhibeantur, haud quia aliquid boni fubitò ex iis oriri eft expectandum, aliquando enim totæ quidem horæ priùs abeunt, quàm corpus, ita ut fenfus moveat, afficere cœperint. Atque etiam initio paroxyfmi raro effent neceffaria, quippe, eo tempore, excitamentum in pleno corpore ferè fatis valet; fi æger tamen uti fuprà recuperet, aut abftrahantur, aut manere, fecundum medici voluntatem, concedantur. Ubi autem paroxyfmus permaneat, multum commodi, in ftadio morbi fecondario, ab his viribus ftimulantibus, nobis eft expectandum, uti quando vis fyftematis vafcularis inertior, et debilior, fieri cœperit. Si deglutire poffit, aliquis ftimulorum diffufibilium liberè adhibeatur, uti Æther, Tinct. Ammon. Præp. Spt. Vin. Gallic. &c. qui tamen debilitati apparenti æquari debet. Inhalatio gafis oxygenofi, aëre atmofpherico diluti, eft maximè notatione digna, cùm fibræ mufcularis irritabilitatem augere nunc dierum creditur; fi autem hoc modo non agere poffit, unum effe è ftimulantibus maximè diffufibilibus, quoniam ab eo excitamentum universè intenditur, meritò nobis licet fpectare. Electrifatione quoque commodè utatur, fcintillis primò è corpore eductis machinâ electricâ ritè applicatâ, crebri deinde atque lenes ictus ei variè reddantur, vel per caput ipfum. Quidam rationem

hanc poſteriorem acri periculo comitatum iri, ſine dubio, ſentiant; ita fieri poteſt, rarò verò occurrere me experientia docet. Bene enim memini hominem, qui affectione nervi optici paralyticâ laborabat, pro quâ ictus per caput redditos recipere juſſus eſt; ſæpenumeroque poſtquam ſtupui, iis nihil mali exitûs ſucceſſiſſe, liberè enim et acriter, ab adoleſcentulo ſtulto, atque præcipite, erant redditi. Cùm autem aliquis ictum inſtantem percipit, rarò ex eo multum boni oriri poſſit, ſi ictui inopinatè reddito comparetur. Igitur, conditione ægri torpidâ ſpectatâ, quatenus extendi poſſint, haud dicere queo; ictibus autem electricis, leniter atque modicè, applicatis, aliquid boni, et nihil mali ſucceſſurum eſſe, facilè credo. Medicamentum mite emeticum nunc commodè reddatur, præcipuè ſi tumor capitis, atque vultûs, multùm fuerit diminutus; vomitio enim partes omnes corporis, (præcipuè autem partes ſuperiores,) leniter concutit, atque eò ſanguinis momentum in vaſis capitis, et deinceps excitamentum, augebit. Emetica tamen, ubi vigoris multum corpori inſit, ſemper vitari debent, neque nos, tempore vel morbi maturo, ea adhibere oportet: quoniam verò vomitionem certis limitibus circumſcribere parum aliquando valeamus, idemne commodum, à corpore poſitione in horizontali ſubinde brevi tempore lo-

cato, oriri poſſit, ùti in Syncope, &c.? Si, poſtquam in ratione ſupradictâ, octo ſeu decem horis, perſtiterimus, æger nulla ſymptomata recuperationis præbuerit, ſanguinis extra venas effuſionem cranio adeſſe interno, vel effuſionem ſeroſam, propter quieſcentiam diuturnam, eſſe affuturam, cauſam credere æquam habemus, præcipuè verò, ſi pulſus parvus, debilior, atque lentus eveniat. Nos tamen, ab applicatione ſtimulantium partibus diverſis ſui corporis non deſiſtere, (uti ſæpiùs fit, præcipuè æger ſi haud fuerit dives,) ea autem mutare, et conjungere, pro re natâ, oportet. Hydrargyrus in auxilium ægri jam introvocari debet, ſpe boni exitûs, quoniam in Hydrocephalo perutile fuit inventum, præripere eventui effuſionis ſeroſæ aliquantum valere, à priore nobis licet ſperare. Eò ſemiuncia Ung. Hydrarg. parti femorum internæ, ſeu ſemidrachma uſque ad drachmam Hydrarg. Mur. Mit. partibus gingivis vicinis, affricetur; haud ut ſalivet, ſed tantùm ut ſyſtemata vaſcularia, et abſorbentia, vi agere auctiore ſtimulet. Rationem ſi agendi ſupradictam, octo vel decem horis, non intermiſerimus, ægerque nulla recuperationis ſymptomata adhuc præbuerit, mortem gradu concitato in ſe feſtinare, ſit nobis manifeſtum. Humanitas autem ipſa, nos, operam ſummam, curamque ſedulam, nullo tempore remittere, fatigat,

Mors donec vitam miſeram ad exitum perduxerit. Indicia ſequentia ægri recuperationem haud procul abeſſe oſtendunt; corporis ſui motionibus non eſſe omnino ſine ſenſu videtur, quo tempore loquitur, aliquid ſeu abſurdè muſſitat, tandem quaſi è gravi ſomno expergiſcitur, reſque externas paulatim agnoſcere incipit, ignavus autem atque torpidus aliquandiu permanet, affectioneſque paralyticæ ſæpenumero remanent. Aliquot adhuc diebus ſtimulantia adhibere pergamus, ſenſim abducentes, prout minùs neceſſaria eveniunt; et ſi affectiones paralyticæ aſſiduè remaneant, eum electriſatione, frictione, exercitatione, ſtimulis cum quibuſdam durabilibus, uti Cortex Peruvianus, Myrrha, Amara, &c. uti oportet. Si autem debilitas languorque tantùm ſuccedant, valetudini et vigori, rationi dum in medelâ prædiſpoſitionis inſtructæ modò paruerit, veriſimillimè citò ſuccumbent.

FINIS.

